

tituere hanc libertatem, et ita non habet locum regula, quod, ad concordiam libertatis cum necessitate auxilii, sit necessaria præsentia auxilii. In posteriori autem sensu, regula nec vera, nec necessaria videtur, quia, licet in singulis momentis homo destituatur omni auxilio speciali gratiæ, si retinet usum rationis, est liber ad non peccandum; ergo non est necessarium auxilium actu collatum ad concordiam cum libertate.

10. *Respondetur. — Intellectus regulæ. —* Respondemus hic non disputari a nobis quando aut quomodo sit necessarium aliquod speciale auxilium gratiæ ad non peccandum; de hoc in primo et secundo libro satis dictum est; sed, supposita necessitate auxilii, explicamus quomodo conferri debeat, ut cum libertate subsistat. Dicimus ergo regulam intelligi de singulis temporibus et momentis pro quibus peccatum vitandum est, nam sic libertas exercetur, ut declaravi, et in hoc sensu dicimus regulam esse veram ac necessariam. Primo quidem ac proprie propter peccata supernaturalibus præceptis contraria, qui nec pro singulis momentis vitari possunt sine speciali auxilio gratiæ, tempore obligationis præcepti, vel tempore gravis tentationis, quoniam non vitantur etiam pro singulis instantibus sine voluntate supernaturali. Secundo, propter peccata contraria legi naturali, non tamen ita proprie, quia, si ratio pro singulis instantibus potens sit vigilare ac considerare, in rigore per hæc solum desiderabitur libertas arbitrii ad non peccandum, nihilominus tamen sæpe tempore tentationis necessaria est aliqua specialis gratia, ut talia peccata in singulis momentis possent libero et humano modo vitari. Ad hoc tamen sufficere pro singulis instantibus protectio extrinseca, per quam non permittitur homo ita premi tentatione, ut rationis usum perturbet. Posita autem hac moderatione, si tentatio sit intensive gravis et diuturna, necessaria erit specialis excitatio, saltem ordinis naturalis, ut homo possit absolute talem tentationem vincere, non tamen ut simpliciter maneat liber, juxta ea quæ in libro 2 diximus.

11. *Regula secunda. —* Secunda regula sit: ut homo sit proxime et immediate liber ad actum supernaturalem efficiendum, necessarium est ut sit actu præventus per auxilium proxime sufficiens ad talem actum faciendum: unde concordia inter necessitatem auxilii sufficientis et libertatem hominis ad supernaturalem actum faciendum, in hoc posita est, quod, ubicumque et quoties necessaria est ho-

mini tam plena et proxima libertas, illi etiam datur actu auxilium sic sufficiens. Hanc regulam sumo ex Concilio Senonens., in Decretis fidei, c. 13, dicente: *Nec tamen tanta gratiæ necessitas libero præjudicat arbitrio, cum illa semper sit in promptu, etc.* Ratio vero regulæ est supra tacta, quia auxilium sufficiens dat posse facere actus supernaturales; ergo sine illo auxilio non est potestas ad faciendum; ergo nec libertas; ergo, servata proportione, sine auxilio proxime sufficiente non est proxima potestas, nec libertas ad eundem effectum. Nam in his necesse est proportionem servari, quia sine potestate non est libertas, nec sine auxilio sufficienti potestas: unde fit ut homo non excitatus, nec præventus actu a Deo, in eo statu non sit proxime seu integre liber ad actum supernaturalem efficiendum, quia non est proxime potens: non enim potest esse major libertas quam potestas, ut in Prolegomeno primo fuse declaratum est. Quod autem non sit proxime potens, patet, quia non habet formam per quam constituitur proxime potens; sicut aqua nondum calida non potest dici proxime potens ad calefaciendum, jam vero calefacta recte dicitur proxime sufficiens; ita ergo est voluntas nondum excitata, nec præventa per gratiam.

12. *Instantia. —* Dices: ergo homo natura sua, antequam gratiam aliquam recipiat, non habet liberum arbitrium ad opera supernaturalia, seu pietatis; consequens videtur omnino falsum: ergo non est necessarium auxilium sufficiens gratiæ ad libertatem arbitrii. Sequela clara est, quia si gratia sufficiens est veluti forma constituens hominem liberum ad supernaturalia opera facienda, certe ante illam formam non habet libertatem ad illa opera. Falsitas autem consequentis probatur, tum ex Augustino, lib. de Spirit. et litter., cap. 33, dicente voluntatem, natura sua, esse vim mediam ad fidem et infidelitatem; tum etiam quia libertas arbitrii non potest dari per formam extrinsecam, alias brutum posset per supernaturalem aliquam formam libertatem operandi accipere; tum præterea quia alias homo peccando amitteret liberum arbitrium, quia gratiam amittit; imo quoties a Deo non actu excitatur, careret libertate ad actus supernaturales efficiendos, quod videtur absurdum.

13. *Respondetur distinguendo libertatem omnino remotam seu remotissimam, partim remotam et proximam, et simpliciter proximam. — Omnino remotam, quæ. —* Respondeo triplicem libertatem in homine posse distingui, in

ordine ad supernaturalia opera, scilicet omnino remotam seu remotissimam, partim remotam partim proximam, et simpliciter proximam. Omnino remotam et quasi fundamentalem voco illam, quæ est in homine ex conditione naturæ suæ, eo ipso quod propter rationis usum habet voluntatem quæ sit domina suorum actuum, et indifferens ad volendum, vel nolendum, seu non volendum: nam ratione hujus proprietatis naturalis, est capax elevationis ad supernaturales actus, modo etiam rationali et libero efficiendos, sicut dixit Augustinus, lib. de Prædest. Sanct., c. 5: *Posse habere fidem, sicut posse habere charitatem, naturæ est hominum; habere autem fidem, quemadmodum habere charitatem gratiæ, est fidelium.* Et hoc etiam ostendunt rationes factæ in præcedenti objectione, ad probandam falsitatem consequentis, quod quidem, intellectum de libertate hac radicali et remotissima, falsum est, sed in eo sensu non sequitur ex regula, ut dicemus. Hæc autem libertas naturalis in ordine ad supernaturalia opera in duobus consistit. Primo, in virtute quasi generali intelligendi, amandi et libere operandi; nam illa vis, ratione sui generis, est inchoata quædam potestas activa, saltem obedientialis, ad intelligendum, amandum, et libere operandum supernaturaliter. Secundo, consistit in capacitate etiam obedientiali passiva recipiendi supernaturales vires, et auxilia quibus illa vis compleri possit ad libere operandum in supernaturali ordine. Unde etiam constat cur hanc libertatem remotissimam appellemus, nimirum, quia partim consistit in capacitate passiva, quæ est valde remota respectu liberi usus, qui est proprius virtutis activæ; partim consistit in vi activa, quæ, ut est ad agendum tales actus, est omnino remota et obedientialis, solumque inchoata et quasi partialis, licet ad agendum semper sit per se sufficiens. Unde fit libertatem quoad hunc infinitum gradum, non pendere ex aliqua gratia actu collata, sed tantum ex possibilitate gratiæ. Et ideo hæc libertas omnium hominum est, licet non omnium sit gratia, sicut Augustinus, dicto cap. 5 de Prædest. Sanct., dixit: *Non omnium est fides, cum posse habere fidem sit omnium.*

14. *Libertas remota, quæ. —* Remotam libertatem ad opera supernaturalia, et quasi mixtam, appello illam quæ, præter innatam et radicalem vim rationis et voluntatis, jam est aliquo modo completa per aliquod supernaturale auxilium in ordine ad aliquem actum su-

pernaturalem, saltem imperfectum, nondum tamen in ordine ad actum perfectum, respectu cuius dicitur illa libertas remota, quia nondum includit totam virtutem activam supernaturalem ad talem actum proxime necessariam. Est tamen minus remota quam præcedens; tum quia jam includit aliquam virtutem activam in ordine supernaturali; tum etiam quia, in priori statu remotissimæ libertatis, reliqua necessaria ad usum talis potestatis solum sunt in capacitate passiva hominis, et ex vi illius libertatis non potest homini imputari quod illa habeat vel non habeat, sed tantum voluntati Dei. At vero, in secundo statu remotæ libertatis, jam est aliquo modo in potestate activa hominis comparare, vel impetrare id quod ad proximam libertatem sibi deest, ideoque potest illi imputari, si illud non habuerit, utpote si non bene utatur illo priori auxilio jam recepto. Est igitur minus remota, magisque propria libertas: si quis autem attente consideret quæ in superioribus diximus, facile intelliget hanc libertatem, remotam respectu alicujus actus, semper esse proximam respectu alterius, qui sit via ad obtinendam majorem vim efficiendi ulteriorem actum; quia, donec aliquis actus liber sit hoc modo in proxima potestate activa hominis, semper est in potestate mere receptiva integræ libertatis, saltem ex parte, et inde semper est in statu remotissimæ libertatis. Ergo tunc solum dici potest habere aliquem actum in sua potestate libera, saltem remote, quando proxime habet in eadem libertate alium actum, qui sit via ad ulteriorem.

15. *Libertas proxima, quæ. —* Proxima ergo libertas simpliciter ad supernaturalem actum erit, quando homo habuerit in se receptam vel aliquo modo in manu sua positam totam gratiam necessariam et sufficientem ad efficiendum talem actum, si velit. Quod enim talis status sit proximæ libertatis, manifestum est, quia nihil est amplius quod expectetur; et quia tunc jam est potentia complete disposita, cum omnibus requisitis ad agendum. Quod vero ad hunc statum tota illa gratia sit necessaria, ex ipsa definitione potentiæ liberæ ostendi potest: talis enim esse debet ut, positis omnibus requisitis ad agendum, possit agere vel non agere. Item, quia sine tota illa gratia nondum voluntas habet simpliciter posse operari talem actum; ergo nec habet proximam ad illum libertatem. Et de hac potestate intelligendum est quod dixit Augustinus, lib. 1 Retract., cap. 22: *In potestate ho-*

minis est mutare in melius vitam, sed illa potestas nulla est (utique complete et proxime), nisi detur a Deo, de quo scriptum est: Dedit eis potestatem filios Dei fieri; et de eadem libertate proxima intelligendum quod idem Augustinus alibi dixit: Liberum arbitrium ad amandum Deum peccati granditate perdidimus, utique quoad proximam potestatem, quæ est per gratiam et auxilium, cujus indigni per peccatum facti sumus, nisi per Christum fuisset reparatum. Et ideo, lib. de Grat. Christi, c. 50, non amissam potestatem, sed infirmam et inermem factam esse per peccatum naturalem possibilitatem, dicit ex sententia Ambrosii: Et hæc est (inquit Augustinus) per peccatum vitiata natura, cui sola per mediatorem Dei et hominum, et omnipotentem medium divina subvenit gratia.

16. De hac ergo proxima libertate procedit regula posita, et contra illam sic intellectam

FINIS LIBRI QUARTI.



non procedit objectio, ut facile ex dictis patet; distinguitur ergo sequela; nam si intelligatur de libero arbitrio remotissimo et radicali, negatur sequela; si de proximo, conceditur; nec contra hunc sensum procedunt rationes quibus falsitas consequentis probatur; nam Augustinus, dicto loco de Spirit. et litt., loquitur de virtute remota et radicali liberi arbitrii, et hæc eadem non potest dari per formam extrinsecam: potest autem compleri, et in perfecta potestate constitui, et quia bruta omnino carent hac libertate, etiam remotissima, ideo non sunt gratiæ capacia: per peccatum item non perditur radicalis libertas, perdi autem potest proxima potestas, quatenus perditur gratia, et posset tolli omne auxilium gratiæ, si dignitas peccati consideretur; de facto autem non privatur homo omnibus auxiliis gratiæ propter peccatum, et ideo proximam libertatem ad pie operandum non amittit.

INDEX CAPITUM LIBRI QUINTI

DE AUXILIO EFFICACI GRATIÆ DEI.

- CAP. I. Quotuplex sit auxilium efficax.
- CAP. II. Utrum auxilium efficax sit ad singulos actus pietatis necessarium, vel solum ad aliquos, vel aliquam eorum multitudinem.
- CAP. III. Utrum auxilium efficax in omni statu et in omnibus personis, sit ad salutem et ad omnes pietatis actus necessarium.
- CAP. IV. Utrum gratiæ efficacitas consistat in necessitate quam infert voluntati, ut non libere, sed necessario consentiat.
- CAP. V. Utrum auxilium sit excitans, seu in aliqua excitatione positum, præsertim juxta mentem Augustini.
- CAP. VI. An efficax auxilium consistat in motione, vel in effectione de se et natura sua prædeterminante physice voluntatem humanam ad unum actum, et exercitium ejus.
- CAP. VII. Utrum auxilium efficax necessarium ad pie operandum sit positum in aliqua excitatione per se, et ex vi suæ naturæ, ac præcise entitatis, prædeterminante physice voluntatem ad consensum.
- CAP. VIII. Utrum excitans gratia per seipsam, et natura sua determinet, saltem moraliter, voluntatem, ideoque talis efficaciam auxilii excitantis ad actus liberos et sanctos voluntatis necessaria sit.
- CAP. IX. Proponitur opinio affirmans efficaciam auxilii prævii consistere in physica prædeterminatione voluntatis per modum actus primi, ac proinde talem prædeterminationem ad omnes et singulos actus pietatis esse necessariam.
- CAP. X. Directe ostenditur auxilium efficax necessarium ad singula supernaturalia opera, non posse consistere in motione vel qualitate prædeterminante physice in actu primo voluntatem ad consensum.
- CAP. XI. Corollaria quibus ratio ab incommotis distinctius concluditur.
- CAP. XII. Quibusdam effugiis rationis factæ occurritur.
- CAP. XIII. Objectionibus contra discursum factum satisfit.
- CAP. XIV. Utrum possibile sit auxilium efficax physice prædeterminans voluntatem in actu primo, salvo libero usu ejusdem voluntatis in eodem actu secundo, ac subinde an libertas, quoad exercitium in actu voluntatis, simul possit cum auxilio physice et in actu primo prædeterminante voluntatem concordari.
- CAP. XV. In humana voluntate non posse simul esse auxilium ex se ac physice illam prædeterminans, cum potestate resistendi eidem auxilio.
- CAP. XVI. Auxilium, si ex se sit effi-